

ipsum reddit vocaliur, inque suum colorem conuertit: quod è sulphuris in eo redundantia accidit. Sed hactenus de auro, argento, are, stanno, plumbo & ferro: deinceps de alijs metallis. Iamque primum omnium occurrunt sulphur illud vulgare atque extrarium & argentum viuum. Hoc sulphur terrestri videtur esse bitumine quodam commistum, quod & Virgilius in *Ætna* scribit, & ad plumbi formam suscipiendam idoneum aduentu peculiaris sibi argenti viui, quod in plumbis inest. Virus est atque fex sulphuris metallorum omnium ipsius subtilitatem aliqua ex parte referens, sic vt concursu argenti viui nonnunquam in metallum induretur etiam pretiosum, agente calore. Id equidem sum expertus in minio factitio, quod ex argento viuo & sulphure conflatur: nonnulli cinnabarim appellant. Ex eius enim drachma licio argenti puri obolum exprompsimus. Vbi vero maxima istius sulphuris contigui, nullisque pumicibus aut cautibus implexis hubertas vehementem radiorum solarium calorem reflectit, continuo ardet, locumque ipsum metallicæ generationis beneficio dispoliat. Internus quoque vapor hanc materiam quandoque solus accendit. Argentum viuum latentem quoque, vt sulphur, in se quendam habet spirabilem calorem, vegetumque spiritum, auri argenti que semen, vbi pulsu agitatur externo, quod pulchrum & suspiciendum arcanum in hac arte est. Idem & aurum & metalla reliqua exerit, mollit, imminuit, in seq; conuertit. Est autem argentum viuum, vt plerisque placet, aqua multum viscosa, ac proinde sicca magis, quam humida. Addi multum: omnis enim aqua aliquantillum viscosa & glutinosa est: quod intrinsecæ penitissimæque eius substantiæ in ipso etiam latere efficientia declarat. Latet enim initio distrita in pulueris modum atq; adeo in sectiles quosdam atomos distracta terra, aqua coagmentatur in massam, quæ euanescente liquido tandem indurescit. Calor enim circumpariens, atque ipsius etiam terræ ariditas aqua diluentem humorem propellit, retento glutino. Aliter autem qui potest manere compages, qua sublata rursus puluis fuerit later, aut vda forma luti? De aut pigmento, pyrite, stibio, chrysocolla, alumine, chalcanto, & id genus reliquis (subsequuntur enim ista) id obiter dicam, nihil aut parum ad lapidem conferre. Conferunt alia ad extrinsecus dealbandum, inaurandumque; alia ad solidandum & abstergendum, ad chrysulcam alia: quæ quomodo fiant,

Color metallorum vnde.

Sulphur vulgare.

Argentum ex minio factitio.

Argentum viuum.

Vis argenti viui & definitio. Omnem aquam viscosam ab exemplo.

C ;

quid